



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Quid pr[a]ecipit tertiu[m] pr[a]eceptu[m]?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

Item puniat hereticos serentes falsa & impia dogmata, postquã res à pijs & doctis ritè iudicata est. Hæ pœnæ omnes sunt officia huius præcepti & habent exemplum in lege, **Leuit. 24.** Qui blasphemauerit nomen domini morte moriatur.

### An illicita iuramenta sint seruanda?

**I**LLICITA iuramenta intelligi debent, in quibus promittitur aliquid quod est peccatum, aut sine peccato præstari non potest. **V**t si quis promitteret sciens se facturum iniustam cædem. Talia iuramenta non sunt seruanda. **P**rimũ autem peccat iurans de re illicita, quia **D**eus non uult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. **D**einde maius peccatum est præstare talia iuramenta, sicut **H**erodes simulauit se coactum iurando interficere **I**oannem. **H**inc facile est iudicium de uotis **M**onachorum. **I**rrita sunt uota, in quibus hærent impiæ opiniones, quæ ledunt gloriam **C**hristi, et transferunt beneficium **C**hristi in opera ab hominibus excogitata, uidelicet, cum fingunt **M**onasticas **C**eremonias esse cultus **D**ei, qui mereantur remissionem peccatorũ etc.

**Vota Mo-  
nastica.**

### DE TERTIO PRÆCEPTO.

Quid præcipit tertium præceptum?

**O**bser-

**O**bservationem sabbati, hoc est, conseruationem ceremoniarum, quæ sunt diuinitus traditæ. **S**abbatum enim institutum fuit causa docendi. **I**deo lex disertè inquit. **S**anctificabis diem sabbati, id est, in res sanctas collocabis, uidelicet ad celebrandas publicas ceremonias & audiendum uerbum **D**eï. **H**æc sunt uera opera sabbati. **I**am diligenter cōsidera ordinem præceptorum primæ tabulæ. **P**rimū præceptum concionatur de cultibus interioribus, de timore, fide et dilectione **D**eï. **S**ecundum de externa protestatione, scilicet inuocatione. **T**ertium de ceremonijs & usu ceremoniarum, scilicet quòd conseruandæ sint propter ministerium uerbi. **O**portet enim existere aliquas ceremonias, quæ sunt notæ & testimonium uerbi **D**eï. **N**on poterat magis concinnus ordo excogitari.

**E**st ne abrogatum præceptum de sabbato?

**R**espondeo, **G**enus quod in hoc præcepto continetur non est abrogatum, quæ quidem est principalis sententia huius præcepti, & continet causam finalem institutæ speciei, species uerò est abrogata, hoc est, semper **D**eus requirit conseruationem ceremoniarum, sicut

C

CAS